4

# DISSERTATIO MEDICA
## INAUGURALIS,
## QUAEDAM
## DE
# RHEUMATISMO
## COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT


JOANNES CONQUEST,

ANGLUS,

COLL. REG. CHIR. LOND. SOCIUS.


*Condo et compono quae mox depromere possim.*—HOR.
*Media quodammodo inter diversas sententias.*—CELSUS.

Die XII ante Kal. Sept. horâ locoque solitis.


EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

1813.

VIRO PERITISSIMO

ASTLEY COOPER,

ARMIGERO,

SOCIETATIS REGIAE LONDINI,

ALIARUMQUE SOCIETATUM AD LITERAS INGENUAS

COLENDAS INSTITUTARUM SODALI;

CHIRURGO IN NOSOCOMIO GUIENSI,

&c. &c. &c.

QUI

ARTEM CHIRURGICAM CUM LAUDE INSIGNI,

ET MAXIMO CIVIUM SUORUM BONO,

EXCOLUIT, ORNAVIT, ET PROVEXIT;

HOC TENTAMEN INAUGURALE,

SUO NOMINE ORNATUM,

OBSERVANTIAE, GRATIQUE ANIMI

PIGNUS,

OFFERT ET DEDICAT

AUCTOR.

NECNON

AMICO SUO CARISSIMO

# CAROLO STUART, M.D.

SOCIETATIS REGIAE EDINENSI SOCIO;
&c. &c. &c.

OB ERUDITIONEM, PARITER AC VIRTUTES,

SEMPER COLENDO;

S. P. D.

AUCTOR.

*Utcunque indignum, testimonium exiguum animi devinctissimi propter innumera collata beneficia quæ in alta mente reposui, et quorum, ad extremam usque ætatem, memoriam retinebo, hoc opusculum tibi offero.*

*Diu salvus, felix, faustusque, vir mihi amicissime, permaneas; et illis amicis quorum felicitatem, moribus, monitisque benignis, per annos complures magnopere contulisti, usque servatus sis.—Vale.*

For A. Rye Esqr. with the Author's
kind regards.

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

### QUAEDAM

### DE

# RHEUMATISMO

## COMPLECTENS.

---

## PROOEMIUM.

Nolens, sed necessitate coactus, legibus Academiæ obtemperans, pauca de Rheumatismo proferre, animus est, et, ob momentum hujusce morbi practicum, et, quia in nosocomio militari sæpissime mihi occurrebat.

Talis autem conatûs tanta est difficultas, tantaque etiam mea imperitia, ut non sperare audeam, me, vel de naturâ, vel de curandi methodo, aliquid novi submonere posse. Et ne hoc argumentum quidem sumerem, ut, quidquam afferrem sufficiens ad conciliandas medicorum aut opiniones de hac re inter se omnino discrepantes, aut curationis vias diversas, ad quas, homines pare in sua arte famâ, se contulerunt.

Limites thesis scriptorem cogunt, hujus latæ materiei solum partem, et eam vel brevissime, tractare.

Historiam itaque, naturam essentialem (seu causam proximam), cum consiliis medendi inde deductis; et postremo, pauca remedia, quæ ad morbum amovendum adhibenda sunt, narrare, mihi proposui.

Quoniam indicationes sanandi omnes a charactere, notitiâque naturæ essentialis morbi debent trahi; ne in conjecturis inutilibus errem, hanc solum investigabo, quatenus deductiones eas sustineat quæ inter medicos ratiocinantes, et empiricos, discrimen præcipue constituunt.

In tractando de rheumatisimi curatione, pauca remedia enumerare sufficiat, quorum vim plerorumque quadantenus compertam habeo.

Causæ prædisponentes, remotæ, et excitantes: diagnosis, prognosisque, necessario omittuntur.

## SPECIES VARIAE RHEUMATISMI.

MEDICI recentiores qui de rheumatismo disseruerunt, duas species descripserunt, vulgo nominatas: "*Rheumatismus Acutus*, et *Chronicus*;"* atque unum symptoma genericum habentes, scilicet: *dolorem articularem*, et febre absente, sive presente, inter se dignotas.

Invitus igitur ab hac distributione decedo. Si autem causa ulla sit, cur species supra dic-

* A viro præclaro Doctore Cullen, "*Rheumatismus*, et *Arthrodynia*" nominatæ sunt.

tas distinguamus, æquo jure ut mihi quidem videtur, tertia forma, media inter Acutam et Chronicam enumeretur oportet.

In praxi medicinæ, hæc distinctio, maximi momenti experta est; et species quam "*Rheumatismus Atonicus*" nominarem, locum inter formam Acutam et Chronicam videtur occupare, quam Synochus similiter inter Synocham et Typhum habet.

In vocabulo "*Atonicus*" eligendo ad hanc speciem Rheumatismi designandam, hoc mihi est auctoritati, quod Doctores Duncan atque Home eodem sensu in suis prælectionibus eximiis, eo utuntur.

Ad hanc divisionem persequendam, forma quæ Rheumatismus Acutus nunc nominatur, "*Tonicus*" debet vocari. At nomenclaturæ ac-

curationem velim omittere, potiusquam immutationi, vel adoptioni nominum novorum videri indulgere: quod semper sedule evitandum est.

## RHEUMATISMI ACUTI, HISTORIA, ET NATURA.

Ex inflammatione articulari gravi, hic morbus constat; una, cum pyrexia synocha, et symptomatis ejus characteristicis.

Etsi ad affectus rheumaticos artus omnes proclives sunt, tamen majores præcipue laborant. In his, dolor est vehemens et acutus, tractum musculorum qui artubus morbosis connectuntur sequens. Secundum tendines, fasciamque aponeuroticam, potissimum videtur propagari. Membro moto, aut calore externo applicato, dolor augetur; quamvis ru-

bor, æstus, tumorque articulorum quæ post paucos dies eveniunt, maximum levamen sæpe afferunt.

Constitutio fere, graviter afficitur. Secretiones, excretionesque eaedem sunt quæ in Synocha.

A principio morbi, subinde, sudor profusus adest, é diversis vero partibus atque viscosus. Donec magis modicus atque universalis hic fiat, una cum pulsus regularitate, mollitiaque, nullum levaminis præbet.

Motus cordis et arteriarum apprime augetur : pulsus est validus, durus, plenus, atque frequens; fere semper plus nonaginta ictus per sexagessimam horæ partem habens.*

---

* In prælectionibus utilissimis ejus, Doctor Gregory dicit, se, pulsus usque ad centum et quinquaginta per sexagessimam horæ partem in hoc morbo numeravisse.

Febris exacerbatio est insignis vespertina; raro autem augmento artuum doloris comitante.

Affectus localis plerumque, brevi, partem primo lacessitam linquit, articulatim oberrans; frequenter ad eos artus qui antea tentati essent, recurrens. Hoc, sub remissionem morbi maxime percipitur. Interdum pyrexia affectionem articularem sequitur, sed sæpius hic, illi succedit; sæpissime autem, simul et semel apparent.

Rheumatismus Acutus juventutem præsertim, vel eos ætatis florentis vexat: vix ante pubertatem, aut post annum quinquagessimum apparet.

Ii, quibus temperamentum plethoricum et robustum est, ad hoc vitium valde proni sunt.

Aliquando paucis diebus hæc species rheumatismi submovetur; quod si, sine ullis remediis administratis, progredi, permissa sit, brevi, sanguinis circuitus violentus (seu potius forsitan irritatio inde oriens) facit, ut formam *Atonicam* assumat.

*Natura.*—Dum observationes sagacissimi viri (Doctoris Gregory) in mente repositæ manebunt, vix audeo aliquid de causa proxima (vel de natura essentiali) hujus morbi tractare.*

Omnes theoriæ speciosæ quæ hactenus prolatæ sunt, nihil nisi assumptiones gratuitæ, vel saltem prominentium symptomatum enu-

---

* "The cause assigned must be matter of fact, and not mere hypothesis; and such matter of fact must be applicable to the several features or phenomena of the disease, for which we wish to account."

merationes fuerunt. Et etiam hodie confitendum est, nihil amplius de hac re nosci.

Sine dubio, rheumatismus acutus, est morbus excitationis vehementis. Vim auctam cordis, arteriarumque, nulla jactura roboris, vel pollentia imminuta virium vitalium videtur comitari. Commotio febrilis non cum affectione topicâ apparet conjungi, sed ex statu morbido ignoto generis nervosi verisimile, oritur.

Conditio morbosa artuum ad actionem inflammatam fibrarum musculosarum, præcipue arteriarum ligamentorum, tendinum, atque fasciæ aponeuroticæ musculorum, potest referri.* Porro, fortasse, redundantia sit secretionis, vel secretio vitiata e bursis mucosis.†

---

* Vide "Medical Communications," Vol. II. Art. xix. by *James C. Smith, M.D.*

† Vide *Morgagni* "De Causis et Sedibus Morborum."

## RATIO MEDENDI RHEUMATISMI ACUTI.

Ex historia hujus morbi, consilium præcipuum, et quidem unicum, curationis, quod sese offert, est,

*Irritabilitatem generalem, actionemque localem domare, impetum circuitus sanguinis, vigoremque cordis et arteriarum minuendo.*

Quamvis irritabilitas et debilitas subsequens ab actione nimia videntur ortum ducere, tamen in promptu est ea conjuncta esse, et alterum, alterum augere. Itaque consilium supra editum peragere, nulli methodi tam eligendi

sunt, quam ii, qui impetum sanguinis diminuunt. Eorum efficacissima, est,

*Detractio Sanguinis Generalis.*—Minutatim, modos operandi hujus remedii valentissimi investigare, a meo proposito alienum foret. Sed in hoc morbo agere potest: *Primo*, Distentione ab arteriis summovenda, quæ loco stimuli mechanici tunicarum agat: *Secundo*, Actione sana ad vasa cutis revocanda, quod una causa excitationis sævæ corporis sit.

Limites quibus hoc remedio oportet prudenter utamur ex variis rebus pendent; ut, ex ætate, temperamento, consuetudinibus, &c.; ægri: necnon etiam tempestate; vi, periodoque morbi, etiam statu sanguinis jam missi, et prioris detractionis effectibus.

Exitus secundus hujus morbi in maturâ et liberali missione cruoris multum constet; et

in nullo alio morbo fit, depletionem amplificam ex venis minorem debilitatem sequi, præsertim si orificio magno, intra quatuor, vel quinque dies, sanguis sublatus fuerit.

Quanquam hoc remedium post hebdomadam levamen dignum notari præbet, veruntamen est pro tempore solum, et sæpe energia imminuta virium subsequitur. Evacuatio quælibet postea, morbum protrahit, atque speciem in Atonicam accelerabit.

Opus est interdum sanguinis apprime magnam copiam subtrahere; et in adversariis meis exempla nonnulla notabilia sunt hujus rei, quæ ipse vidi.

Credo equidem haud multum fidei in superficie coriacea sanguinis reponatur oportere, quod ut satis notum est, usque ad rheumatismi chronici exitum perstat. Sed tutius

confidere licet quum superficies concava adsit; quia hæc dux ambiguus multo minus invenitur, et semper fere vigorem indicat. In judicando etiam de missionis sanguinis usu, aliquatenus, firmitate, contractioneque crassamenti debemus moveri. Nam si hæc proba fuerint, nobis est vigoris argumento, et vice versa.

Ut in multis aliis morbis, ita in rheumatismo, maximi refert inter eos status diversis sanguinis quæ vulgo: *buffy*, et *sizy* nominantur, discrimen magnum in mente retinere; nam dum actionem auctam ambo demonstrant, ille, crassamento firmo, et vi resiliendo præditus, vigorem ostendit; hic crassamento molli et tremulo, virium diminutionem denotat.

Post unam vel duas detractiones largas ad initium mali, affectio localis frequenter imminuta

fiet, et symptomata febrilia generalia, insigniter reducta erunt. Sin, dolor, tumor, &c. artuum non diminuta manerent, et si corporis commotio febrilis parum mitigata fuerit, ad scalpellum rursus decurrendum est. Consensu plerorumque medicorum qui de rheumatismo acuto scripserunt, detractio sanguinis remedium est, quo, ut hic morbus depellatur, plurimum nitimur. Hoc quidem cum catharticis lenibus, atque medicamentis iis quæ exhalationem cutis mitem generalemque inducant, et sustineant, auxilium totum quod ab arte possit derivari, videntur suppeditare.

Multa observationum Doctoris Cullen, sub curatione pneumoniæ traditæ,* ad hunc morbum removendum pariter respectum habent, et attentionem merent æque ac eæ sub

---

* "First Lines," paragraphi 362, et sequentes.

Rheumatismi acuti tractatu.† Neque sunt observationes eximiæ Cornelii Celsi, "De sanguinis detractione per venas," minus dignæ audiri.‡

Diversis medicis cinchona officinalis:§ remedia quæ sudorem eliciunt:|| et opium, ut huic formæ rheumatismi bene adaptata, summis laudibus extulerunt.

*Cinchona officinalis*, autem, ut mihi videtur, dum diathesis phlogistica quæ semper fere adest, remanserit, nunquam debet dari.

---

† "First Lines," paragraphus 463.

‡ Liber II. cap. x.

§ Vide "Clinical History of Acute Rheumatism," by Dr Haygarth.

|| Vide "Cases of Acute Rheumatism," &c. by Dr Dawson; "Medical Reports," &c. by Thomas Fowler, M.D.

*Sodorifica*, tantummodo vi exinanitionis utilia apparent, quamvis a viris tam merito colendis commendata sunt. Tamen verisimillimum est eandem rem magis commode effici posse, aliis medicamentis quæ effectus stimulantes eorum quæ hi scriptores laudaverunt, non habent.

*Opium*, diaphoreticis conjunctum, postquam actio vehemens arteriarum superata fuerit, dare licet, sed symptomata sæpe adauget; quanquam, sub finem, vel ad sublevandum, vel ad tollendum morbum, est remediorum præsentissimum.

*Remedia localia* quæ possunt admoveri, propter teneritudinem morbosam pauca sunt.

*Detractio sanguinis localis*, perquam levabit, et hirudinibus, aut cucurbitulis ad par-

tem aliquanto distantem artui inflammato appositis peragi possit.

Ut stimuli uniquique impetum circuitus sanguinis augendo noxii sunt, ita vesicatoria affectu primo seu stimulante, semper dolorem, affectiones aliasque lacertorum exaugebunt, præsertim si supra partes morbidas adhibita fuerint. Vesicatoria efficaciora esse multi scriptores opinantur, quum applicationi singulorum venæ sectio præmittitur.

Frigus, forma nivis vel glacei contusæ, ita applicatum ut effectus sedativos obtinere, in nonnullis regionibus Septentrionalibus Europæ, aliquando ad articulos admotum est: debilitas vero et relaxatio artuum quæ administrationem sequuntur, beneficium plus aequant quod alioquin stimulus caloris abstractione ortum esset.

Quod si, ad formam Atonicam vel Chronicam hæc species Rheumatismi progressa fuerit, ut suo quæque loco enuncientur methodos medendi postulabit.

Diæta, regimenque ægroti in hoc vitio, semper qualia medicis bene cognita sunt nomine *antiphlogistico*, rigide debent esse.

## RHEUMATISMI ATONICI HISTORIA, NATURAQUE.

Etsi Rheumatismus Atonicus aliquando Rheumatismo Acuto superveniat, attamen sæpius ut morbus primarius apparet.

Symptomata localia, generaliaque, iis speciei jam editæ simillima sunt; habitubus corporis autem quos vexat, ætate in qua occurrit, ac modo diverso tractandi quem postulat, præcipue differt.

Homines cujuslibet ætatis, et quibus sunt corpora mobilia, vel plethora venosa, ad hanc

speciem rheumatismi potissimum obnoxii sunt.

Quum, quemvis annis provectum, vel ulla ægrotatione priore infirmatum,* vel fœminas, rheumatismus inflammatorius lacessit, plerumque hanc formam assumit.

Habitubus ad podagram proclivibus observatio eadem æque applicat; et in exemplis quæ ego vidi hoc mihi colligere licet; corpora quæ hæc species vexat ea esse, in quibus, morbus sæpissime ab artubus discedit, et in organa vitalia impetum facit.

Dum commotio febrilis sæpe vehemens pariter erit ac in Acuto, tamen corporis vigor aut robur æqualis, non comitabitur. Pulsus,

* Milites multi qui Valcheren et Hispania redierunt, hac forma rheumatismi gravissime laboraverunt.

ictum eundum durum et firmum tactui non dabit, quanquam digito majoris plenitudinis sensum impertiet. Interdum pulsus parvus et debilis erit, tametsi, semper fere, præter naturam creber est.

Vespere exacerbatio evidens febris non solum est, sed doloris articularis etiam augmentum haud aspernandum.

Frequenter hujusce naturæ rheumatismus est, cum pyrexia, Autumno, occurrens, et quum oppidis magnis hoc tempore accidat, et præsertim si opificia contineant, nunquam pene non est formæ Atonicæ.* Ut Acutus, ita hæc species actione cordis arteriarumque incitata, conjungitur; sed perturbatio febrilis omnino symptomatica videtur esse, et à morbo locali

---

* Reports on the Diseases in London, by Robert Willan, M. D. p. 154.

renixum constitutionis inefficacem excitante oriri, quod stabilimento successionum morbidarum actionum, debilitatem generalem inducit.

## RATIO MEDENDI RHEUMATISMI ATONICI.

Consilia curationis de hujus morbi charactere jam prolato, deducenda, et quæ sese naturaliter suggerunt, sunt,

*Primo*:—Motus qui immodici sunt mitigare, priusquam successionem aliquem actionum morbosarum inducunt, et,

*Secundo*:—Si stabilita fuerit, ad munera salutaria eas redigere.* Primo, igitur morbum

* Hoc morbum arcere, forsan dicere licet; incitationem præter naturam quæ adest debemus sinere se exhaurire, dum vires sustinemus, et affectionem localem domamus!

localem superare debemus, et ita commotionem febrilem moderari. Modis jamdudum dictis in rheumatismi acuti tractatione hoc efficiendum est, sed attentiore cura adhibita.

Levamen, usum repetitum hirudinum artus circum, sequens, et cucurbitularum, vesicatoriorumque procul ab articulis, sæpe valde citum est, et dignum notari: frequenter diminutio manifesta symptomatum generalium hoc comitatur. Si initio morbi hæc remedia admota fuerint, in exemplis multis morbus prorsus summovebitur. Nimis sæpe autem, eum sistere omnibus conatibus nequimus, et itaque opus est, ea remedia quæ pollentiam suppeditant ad consilium secundum agendum, exquirere.

*Missio Sanguinis Generalis*—Nisi necessitate ultima vix unquam, et ne vix quidem usurpanda est, ob debilitatem nocivam quæ

consequitur. Verum est, detractionem sanguinis é brachio sæpe aliquantum levamenti præbere, tamen hoc solum pro tempore est, et energia imminuta quæ usus ejus supervenit nequaquam compensabit. Sanguis eductus tunicam lymphæ coagulabilis crassam ostendit; attamen raro superficiem istam concavam habet, quæ est probæ valetudinis signum. Superficies laxa et tremula apparet in infirmis atque aetate provectis qui hoc morbo vexantur, cruori agri typho laborantis similis.

Si *medicamenta sudorifica* (quæ â scriptoribus quibusdam eximiis laudibus cumulata sunt*) beneficia tanta conferant quæ dicuntur efficere, hæc est rheumatismi forma in qua benefacere posse videntur. At quoties, sine symptomatis ullius levamento minimo, hac condi-

---

* "Medical Reports by Thomas Fowler, M.D."
"Cases of Rheumatism, &c. by Dr Dawson."

tione cutem videmus? Confitendum est, sudorem qui adest raro generalem esse; sed ubi etiam totum corpus admodum humectet, propter debilitatem quæ consequitur, potius nocere quam prodesse, compertum est. In exemplis quæ mihi contigit videre, commodi multo plus ex actione modica æqualique vasorum cutis, una cum dejectionibus laxis et regularibus processit. Per Aquam Acetitis Ammoniæ, vel cum, vel sine opio, talis status cutis semper apparuit magis commode effici quam per Tincturam Guiaci Ammoniatam, aut quibusdam remediis sudorificis excitantibus ejusmodi.

*Opium, Tartras Antimonii, et Hydrargyri Sub-murias,* conjuncta, portionibus parvis, aliquando principio morbi, febrem domant, sudorem lenem et universam eliciunt, atque alvo dejectiones modicas et biliosas educunt.

Enimvero, per omnes gradus Rheumatismi Atonici opium ipsum perutile est: vim symptomatum mitigat, affectionem localem sublevat, humectationem cutis elicit, somnum reficientem inducit, et irritamentum corporis nocivum, quo tam enervatum fit, summovet.

*Cinchonæ Officinali*, veruntamen, in hujus morbi curatione, fides summa debet haberi: alvo prius liberé soluta et cutis foraminibus patefactis. Hunc morbum in tollendo per hujus medicamenti usum liberalem, multi medici non parvi nominis scripserunt;* et administrationis secundæ ejus, argumenta produxerunt, quæ majorem attentionem quam acquisiverunt, merent.† Contra, Doctorem Cullen‡ et alios medicos eximios hoc remedium om-

* Doctores Fothergill, Saunders, &c.

† Vide "Clinical History of Acute Rheumatism, by Dr Haygarth."

‡ "Materia Medica, Vol. II. p. 83."

nino damnavisse, non celandum est. Plerumque initio morbi administrari potest (cautionibus jamdudum prolatis adhibitis) et quamvis affectus diversos a priori expectaverimus, paucis diebus affectio generalis, localisque illico subsidere incipiunt, roburque corporis tempore brevi refectum est. Quantitas Cinchonæ administrandæ, formaque qua danda est, ex rebus iis variis pendebit, quæ medicos in hoc remedium exhibendo in aliis morbis dirigunt.

Auxilium non aspernandum è Cinchona, Potassæ Nitrate vel Tinctura Digitalis conjuncta, percipitur.

Medicus nunc medicinam faciens, et Londini bene notus, Decoctum Cinchonæ officinalis, Oleo Pini Vol. Pur. mistum diutissime dare assuevit; et tametsi principio morbi (post alvum citam) hanc mixturam administravit, ab experientia ac exercitatione lata

medicinæ annorum multorum hanc curandi methodum valde profuisse vidit.

Interdum, genere rheumatismi atonici apprime periculoso, juvenes vexantur. Detractio sanguinis, medicamenta quæ alvum solvunt, vel sudorem eliciunt, in hoc morbo tractando, non solum nociva sunt, sed sæpe vitium ad exitum lethalem festinant. Sanationis ratio præcipue dosibus minimis Radicis Rhei Palmati, et exhibitioni liberali Cinchonæ cum diæta multum nutrimenti præbente, debet contineri.*

Rheumatismus cum pyrexia typhode aliquando occurrit. Doctor Gregory narrat, se hoc vidisse; et licet neque pulsuum celeritas,

---

* "Report on Weather and Diseases, by Dr Fothergill." Feb. 1753.

neque cutis calor immoderatus erat, tamen ægrorum plures mortui sunt.†

Cibus lautus in Rheumatismo Atonico delendo, plurimum valebit; nec, et potus cerevisiæ, atque vini portio modica prohiberi debent.

---

† In prælectionibus ejus de Rheumatismo.

10

## RHEUMATISMI CHRONICI, HISTORIA NATURAQUE.

Tertia species Rheumatismi de qua breviter restat mentionem facere: *Rheumatismus Chronicus vel Arthrodynia* nominata est. Etsi a speciebus duabus jam memoratis, Rheumatismus Chronicus satis diversus est, ubi ut morbus primarius occurrit, tamen si aut formæ acutæ aut atonicæ superveniat, mutatio adeo gradatim potest fieri, ut eorum limites accurate nequeant distingui. Quum autem, perfecte constitutus fuerit, dissimilis omnino videtur.

Plerumque vitium est gravius, molestiusque, quando, ut sequela aut gradus superveniens speciei alterius accidat, quam ubi in forma chronica primo apparet.

Symptoma præcipium dignoscens, est, febris absentia, sed exemplis multis exacerbatio levis vespertina erit.

Ab illa, quem de aliis speciebus antea recensuimus affectio localis non multum distat. Tumor, inflammatiove externa, raro adest, et quamvis præter naturam teneritudo fere sit, nequaquam, est tam immodica quam, vel in forma acuta, vel atonica. Motu, dolor gravescit, et per tractum fibrarum musculorum admodum prompte propagatur. Plerumque, vasis externis debilitatis et relaxatis, calor artuum minuitur, et sæpe sudore viscido frigidiusculo, diffunduntur. Hoc, in ægrotis quibusdam usque ad torporem paralyticum cres-

cit. Lacerti frequenter valde rigidi et contorti fiunt: hoc, secretionis qui articulos irrorat a defectu oriri videtur, vel potius, partibus tenuissimis resorptis.

Hic morbus (nisi in habitubus podagræ obnoxiis) calore externo admoto mitigatur, ut aëris humiditate etiam aliquanto afficitur.

Rheumatismum chronicum, robur corporis imminutum, vel infirmitas quævis localis fere comitatur. Eos aevi provectioris, aut habitudinis malæ sæpissime tentat.

Lumbago atque Sciatica sub hac specie rheumatismi enumerari debent, quia, primo quamvis morbi acuti sunt, tamen chronici, brevi fiunt.

Rheumatismus Chronicus ex laxitate et *atonia* febrili fibrarum musculosarum artuum,

præcipue constare videtur, præsertim fibrarum vasorum quæ secretionem articulorum secernunt; et fortasse etiam conditio morbida nervorum partium existat.

Vir celeberrimus Morgagni, et alii qui cadaverum rheumatismo laborantium, articulos scrutati sunt, res quæ sibi ostenderunt, memorarunt, quæque huic opinioni nostræ suffragari videntur; quamvis forsitan sequelæ potius quam causæ morbi considerandæ sint.

## METHODUS MEDENDI RHEUMATISMI CHRONICI.

Medici, quum hanc speciem Rheumatismi arcere conantur, sæpe falluntur, et etiam ad malum levandum, diu, et constanter, in remediis præsentissimis perseverare fere opus est.

Indicia curationis, sunt,

*Primo:* Vigorem, (seu tonum) actionemque salutarem fibrarum musculosarum artuum revocare, et,

*Secundo:* Quum corporis debilitas adsit, robur restituere.

Completio indicationis alterius jam dictæ, in sese, alterius consummationem implicabit, nam plerumque sine administratione medicamentorum roborantium, stimulantiumque, tam internorum quam externorum, prima non potest effici.

Systemati, præsertim infirmato, multum levamenti exhibitio *Cinchonæ Officinalis,* vel *Misturæ Ferri Compositæ* (P. L.) præbet; (dosibus rebus variis quas hoc loco non necesse est recenseri ordinatis.) Si Ammoniæ Carbonate aut alio stimulo aliquo conjuncta, ut Oleo Pini Vol: Pur: præparationibus Sinapi, Cochleariæ Armoraciæ, Aristochiæ Serpentariæ, &c. Cinchona, remedium multo efficacius fit.

*Tinctura Guiaci Ammoniata,* in hoc morbo arcendo, est remedium utilissimum. Quando per doses ad actionem augendam cutis, arteriarumque accommodatas, datur, et frequenter

repetitas, ita ut humiditatem cutis lenem conservet, utilius videtur quam per doses largas quæ sudorem profusum eliciunt, et sæpe languorem debilitatemque inducunt. Ubi dolor gravis adsit, hoc medicamentum multo efficacius redditur si opio permistum adhibetur.

*Pulvis Ipecacuanhæ et Opii*, interdum remedium æque utile est ac Tinctura Guiaci Ammoniata, sed plerumque minoris æstimandum, quia multis hominibus propter molestiam quæ usum ejus comitatur nunquam adaptatus invenitur ; et etiam, propter administrationis modum peculiarem quam semper requirit. Quum incommodum universale (id quod haud raro accidit) ciet, et nullo modo exhalationem per cutem auget, nunquam non perniciosus est.

Gravibus autem exemplis hujus morbi, nulla combinatio plus beneficii præbet quam Opi-

um atque Hydrargyri Sub-murias ita adhibita, ut uno eodemque tempore dolorem submoveant, et sudorem generalem inferunt. Conjunctio hujusmodi in formis pertinacissimis quas Rheumatismus Chronicus assumat, medicamentorum est efficacissimum, præsertim si dosibus talibus data sit ut salivæ secretionem adaugere possit. Oris teneritudo, cum actione paululum aucta glandularum quæ salivam secernunt, sæpe invitanda sunt, sed salivationem ciere raro necessarium est, et quum incaute inducta sit, nocivum apparuit. Levamentum quod hanc conjunctionem sequitur, ab actione aliqua nova in corpore excitata oriri videtur.

Cum lue venerea inveterata, rheumatismus chronicus aliquando conjungitur, et Pilulis Hydrargyri Sub-muriatis (P. L.) possit sublevari vel tolli. Ubi hoc remedium spem fefellit,

beneficii multum vidi usum Liquoris Hydrargyri Oxymuriatis (P. L.) consequi.

*Olei Jecoris Aselli,* de virtutibus, ad hunc morbum depellendum, a viro expertissimo testimonium accepimus. * Ægris ætate provectis, aut valetudine longa exhaustis, præsertim si artus prope inflexibiles, musculi, tendinesque rigidæ factæ sint, remedium efficacissimum ab eo inventum est. Hoc oleum vulgo, diu, ut remedium curatione Rheumatismi in comitatu Lancastriæ assumptum est, et ibi famam magnam obtinuit. Apud ægros in hac urbe degentes medelam morbi integram effectam esse, mihi pro certo affirmatum est. †

---

* Medical Reports of Cases and Experiments, &c. by Samuel A. Bardsley, M. D. p. 18.

† Oleum leni igne vel balneo mariæ é jecinoribus recentis Aselli, ventriculo minus molestum sit.

*Oxydum Arsenici*, aut per se, aut Cinchona Officinali conjunctum, in affectionibus iis pervicacibus quæ ex extenuatione flaccida musculorum constent, et in quibus periosteum ac partes ultimæ ossium aliquam mutationem morbidam passa sunt, multum levaminis præbet. *

*Remedia externa*, rheumatismi hujus speciei in sanatione, summi momenti experta sunt; et nonnunquam, morbum, sine remediorum internorum auxilio tollere.

*Depletio localis*, raro necessario erit, sed aliquando articulorum incitatio, evacuationem é lacertis per hirudines, cucurbitulas cruentas, atque emplastra epispastica, postulat. Hirudines supra artus vexatos, cucurbitula autem

---

* Medical and Physical Journal, vol. ii. p. 492. Medical and Chirurgical Review, vol. xii. p. 65.

et vesicatoria ad partem artubus paulo distantem debent applicari.

*Rubefacientia*, vel medicamenta stimulantia, remedia sunt in quibus maxima spes imponenda est. Quum dolor partium morbosarum obtusus sit, et quasi profunde situs, atque quando vitium articulare diu permanserit, tum emplastra ex meloe vesicatoria, vel ex aliis medicamentis acribus factis, tempore brevi super articulos morbidos oportet admovere: quum tamdiu applicata sunt ut vesiculos non possint excitare, sed solum partes stimulare, utilissima inveniuntur. Initio rheumatisimi chronici, in Sciatica, et in Lumbagine, efficacissimum linimentum sese offert Linimenti Saponacei, Tincturæ Opii, et Aquæ Ammoniæ in portionibus æqualibus. Hoc ter quaterve de die partibus morbo laborantibus affricatum est, et dolorem sæpe post horas

paucas in Sciatica, Lumbagineque submovere aspexi.

*Fricatio*, per strigilem, (Anglice, flesh brush) manusve, interdum multum beneficii impertitur.

*Electricitas,* forma auræ, scintillarum, et ictuum, tametsi multis medicis maximis laudibus cumulata, nunquam mihi videtur (quanquam a me frequenter tentata est et assidue usurpata) variis aliis stimulis, vel mechanicis, vel chemicis, anteferri. Ubi morbus per usum ejus sublatus sit, vehementer suspicor plerumque, medicamentis, quæ eodem tempore adhibita sunt, deberi referri. Si teneritas præter naturam lacertorum esset, certe, electricitas semper nociva est.

*Balneum calidum, aut tepidum, aut frigidum,* ita ut effectus roborantes obtineamus usur-

patum, sæpissime valde utile est. Apud Gallos, aquæ calidæ rivulus (vocatur "Douche") super articulum é vase effusus, cum eventu felicissimo, fertur, usurpari. Huic, simillima est consuetudo super lacertum vexatum aquam Bathoniam ex antlia fundendi, et hæc, vitia rheumatica quæ omnibus aliis methodis curationis repugnaverunt, interdum removet. Ex aqua marina calefacta, et fomentis salinis, levamen non aspernandum sæpe vidi subvenire.

*Vaporarium*, commodissimum est quandocunque dolor vehemens, atque artus rigidi, facti sunt.

*Balneum tepidum*, ut aqua Bucostini, vel thermis, vel frigidario, est preparàtio utilis præcursoria.

*Calor siccus*, extrinsecus applicatus, dolorem mitigare nunquam fallit (nisi iis podagræ ob-

noxiis, quibus omnia symptomata urget): itaque ægrotus vestitu laneo, aut vestimento lanuginoso (vulgo nominato *fleecy hosiery*) partes morbidas, calidas semper debet servare.

Neapoli, commune est calorem applicare, arena calida artus circumdando. Et apud incolas indigenas Indiæ Orientalis hoc morbo laborantes, medici sui, supra membrum *moxam** urere solent.† Dolor autem sævus atque exulceratio lata quæ fere talibus remediis frustra tentatis superveniunt, vetant quo minus his remediis utamur.

*Fonticuli*, *Setaceaque*, præcipue in Sciaticis pervicacibus multum valere dicuntur, et post

---

* *Moxa* pars lanuginosa Artemesiæ Chinensis videtur esse.

† Vide " Kœmpfer Amœnitates Exoticæ," p. 502, et Abbé Grosier's " History of China."

frustrationem omnium remediorum communium, medelam efficere.

*Exercitatio ambulatoria* (ægroto arcte amicto) ita ut corpus totum excitet, sed præsertim cutis vasorum actionem augeat, est ratio medendi, unde, non parvum beneficii derivetur.*

Aliæ res innumeræ, quæ in rheumatismo chronico amovendo adhibentur, possunt recenseri: ineptum autem foret eas enumerare, quia iis jam memoratis simillimæ sunt, et iisdem consiliis adhibitæ.

In promptu est, quantum ad hunc morbum sublevandum aut tollendum idonea diæta et regimen juvent; et ex rebus iis quæ jam dictæ sunt, ea maxime aptata apparebunt.

---

* "Medico-Chirurgical Transactions," Vol. III. p. 310.

Aer humidus vel frigidus, mutationes temperiei repentinæ, et causæ omnes remotæ, sedule evitandæ sunt.

FINIS.